

Sed & cùm minor adiit hereditatem, & restituit: mox quidquid ad eum ex hereditate peruenit [a], debet præstare. verùm & si quid dolo [b] cuius factum est, hoc eum præstare conuenit. Sine die & consule.

a ¶ *Peruenit.* vnde locupletior fit: vt *ff.eo.l. ait prætor. §. penult.*

b ¶ *Dolo.* hæc enim sũt paria: [a] cum locupletiorem esse: & dolo fecisse quo minus sit: vt *hic, & ff. depositi.l.1. §. an in pupillum.*

a Paria sunt locupletiorem esse, & dolo fecisse quo minus sit locupletior.

ETIAM PER PROCVRATOREM CAVSAM in integrum restitutionis agi posse.

TITVLVS. XLVIII.

ETiam hoc inspici in hoc tractatu quæque dignum erat, an per procuratorem agi posset causa restitutionis in integrũ, propterea quòd in hoc iudicio ætatẽ probari conuenit, quæ plerúmque probatur ex aspectu, & quod mares per se insinuant veniam statu, ætatémque firmatã ac morũ probitatem probant. Sed vtilitatis causa receptum est, vt etiam per procuratorẽ agatur rectè causa restitutionis in integrum, cui scilicèt id ipsum nominatim mandatum sit, putem & per cognatum vel adfinem, cui id mandatum non sit, sicut alia actio quælibet, si nec ab ipso minore petere & agere prohibitus sit. l. Pap. §. illud. l. patri ff. de minor. CVIAC.

Restitutio in integrum potest peti per procuratorem ad hoc speciale mandatum habentem. SALYC.

1. Imp. ALEXAND. A. *Licinio.*†

AVsam in integrũ restitutionis, si qua competit, etiam per procuratorẽ [c] agi posse placet. Dat. XIII. Kal. Oct. Pomp. & Peligno Coss.

ETIAM PER PROCVRATOREM, &c.

Dixit §. quando minor per se petit restitui, vel per tutorem vel curatorem: nunc quando per procuratorem.

Ausam.] CASVS. Vtrùm minor per procuratorẽ possit petere in integ. restitutionem quæritur? & resp. quòd sic.

c ¶ *Per procuratorem.* vt §. *si tutor vel curator. l.* j. & dic, legitimè [b] ordinatum: vt §. *de procurat. l. non ideo minus. & l. neque.* quod habeat speciale mandatum: vt *ff. de minoribus. l. illud. §. si talis. sic & ff. de proc. l. Pomp. in prin.* [c] ¶ Item arg. contrà. §. *de his qui ve. ætat. imp. l.* j. Sed pater inuito filio petit restitutionẽ, quia in eius vertitur periculũ, quia de peculio conuenitur: vt *ff. de min. l. patri. in pr.* quod dic vt ibi no. AGCVRS.

b Hoc verum cùm principaliter postulatur restitutio. tunc enim requiritur speciale mandatum: vt *ff. de minoribus. l. illud. §. si talis. sic & ff. de proc. l. Pomp. in prin.* [c] ¶ Item arg. contrà. §. *de his qui ve. ætat. imp. l.* j. Sed pater inuito filio petit restitutionẽ, quia in eius vertitur periculũ, quia de peculio conuenitur: vt *ff. de min. l. patri. in pr.* quod dic vt ibi no. AGCVRS. *Gl. in verbo postulatur. in c. suscitata. extra de in integ. restit.* † *Licinio.* c Procurator in integrum restitutionis petendæ, legitimè ordinatus, & cùm speciali mandato esse debet.

IN INTEGRVM restitutione postulata, ne quid noui fiat.

TITVLVS XLIX.

QVod appellatio maioribus præstat, hoc minores consequuntur aduersus sententias beneficio restitutionis si nolint appellare. l. præses. ff. de minor. *& aduersus gesta alia quæcunque ad quæ maioribus nullum patet auxilium. Aut siue appellauerint maiores aut minores, siue petierint minores restitutionem, medio tempore, nihil de integratur, sed omnia manẽt in integro quoad de appellationis vel restitutionis causa pronunciatũ sit: & hoc loco desinit tractatus de minoribus qui cœpit à tit. 21. Sequuntur causa ex quibus nonnunquam restituuntur etiam maiores. 25. an.* CVIAC.

Pendente causa restitutionis in integrum, nihil est innouandum. BALD. & SALYC.

1. Imp. GORDIANVS A. *Secundino militi.*

POstulata [d] in integrum restitutione [e], omnia [f] in suo statu esse debere [g] donec res finiatur, perspicui iuris est: idque curabit is ad cuius partes ea res pertinet. PP. XII. Kalend. Iul. Gordiano A. & Auiola Coss.

IN INTEGRVM restitutione postulata, ne quid noui fiat.

Subaudiunt quidam, causa mutandi iudicij.

Postulata.] CASVS. Mihi minor vendidit. petit restitui: pẽdente iudicio restitutionis in integrum, illius rei super qua petitur restitutio, alienatio fieri nõ potest: & ne alienetur, curabit iudex. VIVIAN.

d ¶ *Postulata.* sed non concessa hìc, nec denegata.

e ¶ *Restitutione.* sententia lata contra minorem exequi non debet, nisi ante cognoscatur, vtrùm debeat restitui.

f ¶ *Omnia.* & ita etiam quo ad maiorem.

g ¶ *Debere.* quo casu erant ante id iudicium quod de restitutione cœptum est: vt nec fiat alienatio rei super qua petitur restitutio: nec sententia mãderur executioni: d vt *ff. ni. no. appen. l.* j. *& j. de appel. l.* iij. & si locupletior erat minor tempore litis cõtestatæ: licèt postea desinat esse locupletior tempore sententiæ, nihilominus suõ creditori teneatur: vt *ff. eod. l. si minor xxv. annis filio fam.* & tamen sufficit eũ locupletiorem inueniri

d In integrum restitutio postulata, impedit executionẽ sententiæ. Guido Papæ *singulari 259.* adde *c. suscitata. extra de in integr. restit.* iuncta Gloss. *in verbo, pensata.*

DE RESTITVTIONIBVS MILITVM, ET eorum qui reipublicæ causa absunt *.

TITVLVS L.

MAiores 25 an. & hæredes ex persona eorũ restituuntur in integrum, si cũ essent in militia occupati in castris vel præsidiis, vel statiuis, vel qua alia ratione abessent Reip. causa sine dolo malo, interim res eorũ vsucaptæ sint, aut vendita à creditoribus aut tempore amissæ actiones quæ eis competebant, vel etiam tempore omissa bonorum possessio hereditatis ve, & restituuntur post quã desierunt abesse intra annum vtilem, & hodie intra quadriennium continuum, rescissa vsucapione, venditione bonorum, distractione pignorum, præscriptione temporis, restitutoque dominio rerum, restituta bon. possessione, restitutis actionibus. CVIAC.

Absens læsus circa bonorum possessionem per absentiam probabilem & necessariam, transmittit beneficium restitutionis ad hæredem. h. d. hæc lex multum not. BALD. Vel sic: *Si miles absens causa reipublicæ, non petit bonorum possessionem intra tempus legitimum, & postea decessit, hæres eius ex persona defuncti intra annum vtilem potest petere se restitui.* SALYC.

1. Imp. SEVERVS, & ANTONINVS AA. *Chiloni.*

SI Valerianus Centurio [h] cohortis duodecimæ Alpinorum antè vita decessit †, quàm [bonorum] possessionem acciperet [i]: hæres eius ex persona defuncti [k] restitutionis auxilium intra annum vtilem ita rectè implorabit, si Valerianus post exactos [l] dies, quibus bonorum possessio defertur, in militia defunctus est. PP. Kalend. Nouemb. Laterano & Rufino Coss.

DE RESTITVtionibus militum, & eorum qui reipublicæ causa absunt.

Non solum minores vt §. sed etiam maiores iustis ex causis iuuantur, quorum principaliores sunt causa reipublicæ absentia, & militia: & ideo de his præmittit.

SIValerianus.] CASVS Militi existenti in militia, delata erat possessio bonorum in bonis patris vnde liberi, vel in bonis agnati vel cognati. decessit in militia, elapso tempore quod datur ad petendũ bonorũ pos. id est, vnius anni, si erat pater qui decessit: vel cẽtũ dierũ, si erat de agnatis & cognatis qui concessit in fata: an heres eius ex persona ipsius intra annum vtilem possit implorare in integrum restituendo pos. petendam, quæritur? & resp. quòd si decessit miles post tẽpus elapsum ad petẽdo. pos. dabitur ei tunc quod competebat defuncto. Idem est si ante dies finitos decessit: & dic post exactos dies, scilicèt maximè. ¶ Nota ex hac l. hìc quòd si quis in absẽtia est lęsus, eo quòd non petiit bonorũ pos. in termino legati, si ipse viuit, potest petere restitutionem in integ. Si verò decedit, eam ad hæredem transmittit. BALD.

h ¶ *Centurio.* miles qui centum præerat militibus in Alpibus existẽtibus causa reipublicæ. & cum fortè duodecim essent cohortes, hæc erat duodecima.

i ¶ *Acciperet.* s. alicuius cognati vel agnati, vel superioris, vel inferioris.

2. Vel [a] die olim cum solemnitate: hodie sola agnitione: vt §. *qui ad. bo. pos. l. si.*

k ¶ *Ex persona defuncti.* vt *ff. de in integ. restit. l. non solum.*

l ¶ *Post exactos.* Id est, finitos, qui sunt annus, si Valerianus est de ascendentibus vel descẽdentibus: aliàs centum diesvt *Institu. de bono. possess. §. liberis.* Ité ideo dicit *post exactos*, quia si priùs decessisset, id tẽpus quod superesset ad hæredem transmitteret secundùm quosdam: vt §. *tit. §. l. ex persona.* quod non placet, cùm non possit bonorum [b] possessio

* *absuerunt.*

a Bonorum possessio die accipi potest sine solemnitate, sola agnitione.

† *Concessit.*

b Bonorum possessio non petita, ad hæredem non transmittitur.